

omnibus necessariis ad salutem; deinde in honestate morum & virtutum & iis quae in humana Societate & consuetudine necessaria sunt juxta morem patriae & conditionem statu. Quantum vero ad exemplum, debent parentes Filii exemplo bonorum morum & operum praetere, & cavere, ne malo exemplo eis dent causam vel occasionem peccari: Demum quantum ad correctionem debent parentes corriger & emendare peccata Filiorum juxta illud Proverb. 13. v. 24. *Qui parcit virga, odit Filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit & Proverb. 23. v. 13. Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris illum virgâ, non morietur, v. 14. tu virgâ percuties eam, & animam ejus de inferno liberabis.* Discreta ratiō & prudens debet esse correctio, ut nec nimia severitate prolem in desperationem adducat, nec nimia indulgentia vitiis Filiorum occasionem prebeat juxta monitum Apost. Ephes. 6. v. 4. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare Filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini ad Coloss. 3. v. 21. Patres nolite ad indignationem provocare Filios vestros, ut non pusillo animo fiant.*

## DISPUTATIO XLVI.

*De Matrimonio in quantum est Sacramentum.*

**S**icut Christus elevavit actus virtutis penitentiae, ut non tantum sint penitentis actus habentes effectum, ad quem ex propriâ sua ratione sunt apti, sed etiam sint partes Sacramenti ex opere operato causantes gratiam, ita contractum civilem matrimonii in novâ legi Christus elevavit ad esse Sacramentale, licet verò statim post peccatum fuerit matrimonium sive matrimonii usus de se remedium concupiscentiae, in quantum licto modo intrâ matrimonium satisfiebat concupiscentiae, quae alias nimis arcta in quælibet in honsta facile

DE MATRIM. INQUANTUN EST SACRAM. 485  
facilè effuta fuisset, attamen non priùs cœpit esse  
signum collativum gratiæ reprimenis seu minuen-  
tis concupiscentiam in sua radice, nisi post adven-  
tum Christi.

### Q U A E S T I O I.

*An Matrimonium sit Sacramentum conferens  
gratiam?*

**D**I CO 1. *Sacramentum importat aliquod reme-  
dium sanctitatis, homini contrà peccatum exhi-  
bitum per sensibilia signa: undè cum hoc inveniatur in  
Matrimonio, inter Sacraenta computatur S. Th.  
in suppl. Q. 47. A. 1. O.*

*Explicatur & probatur Conclusio: quam contrà hæ-  
reticos negantes Matrimonium christianorum esse  
verum legis novæ Sacramentum definitum Con-  
cil. Florentinum in decreto unionis tum Trident.  
Sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 1. Si quis dixerit,  
Matrimonium non esse verè & propriè unum ex sepeim  
legis evangelica Sacramentis à Christo Domino institu-  
tum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque  
gratiam conferre; Anathema sit. quia omne signum  
sensibile practicum gratiæ sanctificantis permanen-  
ter à Christo institutum est verum Sacramentum;  
tale autem est Matrimonium fidelium; nam impri-  
mis est actio sensibilis nempe consensus per signa ex-  
terna notificatus, deinde est signum, ut colligitur ex  
verbis Apostoli Ephes. 5. ubi postquam dixerat viri  
& uxoris mutuam conjunctionem repræsentare hy-  
postaticam unionem verbi divini cum natura huma-  
na & ejusdem cum Ecclesia conjunctionem per fi-  
dem & charitatem, ideoque maritis præcepisset, ut  
diligerent uxores suas, ut Christus dilexit Ecclesiam,  
tandem concludit: *Sacramentum hoc magnum est,*  
*ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Demum Ma-*

matrimonium est signum practicum gratiæ : quia significat gratiam in ipsa susceptione Sacraimenti conferendam subjectis dispositis de quâ

DICO 2. Cum in Matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi suâ uxore ad procreationem prolis , datur etiam gratia , sine qua id convenienter facere non possit S.Th. in suppl. Q. 42. A. 2. ).

Probatur : Omne Sacramentum causat gratiam sanctificantem cum jure ad gratias actuales necessarias ad obtainendum finem Sacraimenti , ergo etiam Matrimonium causat gratiam sanctificantem cum exigentia gratiarum actualium , quibus convenienter obtineatur finis Matrimonii , qui est procreatione prolis. Exponit hanc gratiam Apost. 1. ad Timot. 2. v. 15. ita de muliere conjugata differens : *salvabitur per filiorum generationem , si permanserit in fide ( ubi significatur gratia servandi fidem thoti ) & dilectione ( quo significatur gratia continuandi mutuum conjugalem amorem ) & sanctificatione ( per gratiam contrâ immunditiam ) cum sobrietate ( nempè per gratiam contrâ intemperantiam ) Ratio congruentia est : quia enim Christus institutione Sacramentorum providit , ne remedia pro specialibus difficultatibus in vita christiana occurribus deessent , Matrimonium autem sit status maximas post se trahens difficultates , tum propter Matrimonii unitatem & indissolubilitatem , tum propter rebellionem concupiscentiæ : usus enim Matrimonii inflamat concupiscentiam & absorbet rationem , tum propter liberorum educationem & supportationem mutualium infirmitatum , ideo conveniens fuit , ut ad illas difficultates superandas institueretur speciale medium , & adjutorium gratiæ , quod factum fuit elevando contractum matrimoniale ad rationem Sacraimenti , quamvis hæc elevatio & practica significatione*

ficatio gratiæ potius ex traditione, quam claris verbis Scripturæ probari possit, cum verba Apost. priùs citata commodè possint explicari de Matrimonii etiam in infidelitate contractis, quæ tamen practica sanctificantis gratiæ signa non erant, unde magis ad verbum Dei traditum, quam scriptum pertinet, quandonam autem contractus matrimonialis à Christo ad rationem Sacramenti fuerit elevatus, incertum est; aliqui volunt Sacramentum hoc fuisse institutum eo tempore, quando Christus nuptiis interfuit in Cana Galileæ: quia sicut secundum plures Baptismus fuit institutus à Christo, quando Christus à Joanne baptizatus aquas sanctificavit, ita Matrimonium institutum fuit, quando Christus illud suâ præsentia & miraculo conversionis aquæ in vinum (quo significari potuit elevatio Matrimonii ad esse Sacramenti) honoravit, alii Matrimonium institutum volunt intrâ illos quadraginta dies, qui intercedunt resurrectionem inter & ascensionem Domini: quia iuxta communem DD. sententiam, tunc Apostolis ea à Christo tradita & instituta fuerunt, de quorum institutione nullum aliud determinatum tempus ex historia evangelica desami potest. *Dixi* supra in probatione primæ conclusionis: Matrimonium Christianorum: quia Matrimonium unius fidelis cum altera parte infideli non est Sacramentum: quia nonnisi fidelium contractus matrimonialis elevatus fuit ad esse sacramentale, contractus autem essentialiter includit consensum plenum: ergo nisi uterque sit fidelis contractus matrimonialis non erit Sacramentum.

*Obj. 1.* Matrimonium primorum parentum æque significabat conjunctionem inter Christum & Ecclesiam, quam Matrimonium fidelium: quia in Matrimonio duplex conjunctio viri cum muliere

considerari potest, una est animorum, quæ inter conjuges maxima esse debet, & explicatur illis verbis Scripturæ Gen. 2. quænamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhæredit uxori sua, posterior conjunctio est corporum, quæ sit per actum conjugalem & illis verbis exprimitur: & erant duo in carne una; prior conjunctio conjugum significat illam Christi cum Ecclesia conjunctionem, qua eam ut sponsam diligit. Posterior autem eam, quâ eidem Ecclesiæ sponsæ suæ in utero virginis per mysterium incarnationis quasi secundum carnem copulatus fuit, quæ omnia tam bene reperiuntur in Matrimonio primorum parentum, quam in matrimonii christianorum.

*Rq.* Matrimonium primorum parentum æque significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia speculativè C. practicè N. in novo autem testamento Matrimonium christianorum etiam practicè significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, in quantum secum adfert ipsam gratiæ sanctificantis participationem, quam non conferebat Matrimonium ante novam legem.

*Obj.* 2. Sacramentum debet efficere illud, quod significat, atqui Matrimonium non efficit illud, quod significat: ut enim est dictum, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, illam autem non efficit.

*Rq.* Negando quod Sacramentum illa omnia efficeret debeat quæ significat: Theologi enim in Sacramento tria distinguunt, Sacramentum tantum, rem tantum, rem & Sacramentum simul, in praesenti Sacramentum tantum sunt actus externi mutualium consensum & indissolubilitatem significantes, res & Sacramentum simul est obligatio, quæ nascitur ex illis actibus virum inter & uxorem, sive est

vincu-

vinculum Matrimonii, quod significatur per verba & significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, res tantum in hoc Sacramento est duplex una causata & significata nempe gratia, quae causatur & significatur per hoc Sacramentum, & nihil ulterius significat, altera est significata & non causata nempe unio Christi cum Ecclesia, quae significatur, non autem causatur per Sacramentum Matrimonii. Unde dicitur practicè significare conjunctionem Christi cum Ecclesia: quia verè significando causat aliquam cum Deo per gratiam sanctificantem conjunctionem.

*Obj. 3.* Si Matrimonium sit Sacramentum est præstantius virginitate: cum status virginalis non sit Sacramentum.

R. Matrimonium secundum quid esse præstantius virginitate, non ex natura rei, sed ex Christi benignitate, qui illud elevavit ad rationem Sacramenti & gratiam sacramentalem contrahentibus Matrimonium addidit; quâ gratiâ tamen majorem accipiunt illi, qui amore Christi carnale Matrimonium contemnunt & vovent virginitatem, quia teste Apostolo 1. Corinth. 7. qui Matrimonio jungit virginem suam benè facit, & qui non jungit, melius facit.

*Obj. 4.* In contractu Matrimonii licetè sit pactum de solvendâ dote, quod non liceret, si esset Sacramentum: quia in administratione Sacramentorum pacisci de pretio est simonia.

R. Quia Matrimonium non tantum habet ratione Sacramenti, sed etiam contractus (ipse enim contractus civilis est à Christo ad rationem Sacramenti elevatus salvâ ratione contractus) pecunia quæ pro dote solvit, non datur intuitu Sacramenti, sed intuitu contractus civilis propter onera Matrimonio

monio annexa : ut sustentandi uxorem &c. quæ sunt  
pretio estimabilia.

*Obj. 5.* Ecclesia non potest mutare essentialia Sacramenti, de facto autem mutavit essentialia Matrimonii : quia legibus suis effecit, ut irrita sint Matrimonia inter certas personas contracta, quamvis ipse in Matrimonium consentiant ; ergo Matrimonium non est Sacramentum.

*R<sub>2</sub>.* Ecclesiam non mutare essentialia Sacramenti matrimonii formaliter sed tantum materialiter, materia enim & subjectum hujus Sacramenti sunt personæ legitimæ, quæ autem sunt personæ legitimæ, Christus non statuit, sed Ecclesiæ statuendum reliquit, quare Ecclesia non facit, ut personæ legitimæ non sint materia Sacramenti matrimonii, quod esset mutare materiam formaliter, seu mutare substantiam materiæ, sed Ecclesia suis decretis facit, ut Personæ alias legitimæ non sint imposterum legitimæ ad contrahendum matrimonium, quod est mutare materiam materialiter.

## QUÆSTIO II.

*An ratio contractus possit à ratione Sacramenti separari?*

**DICO.** Actus exteriores & verba exprimentia consensum directè faciunt nexum quendam, qui est Sacramentum matrimonii. S. Th. in suppl. Q. 42. A. 3. ad 2.

Ex quo textu eruitur, quod hoc ipsum sufficit, ut matrimonium fidelium sit Sacramentum, quod sufficit, ut sit verus & legitimus contractus, ita ut ratio Sacramenti non sit separabilis à ratione contractus in matrimonio fidelium, ac non possit baptizatus cum baptizata contrahere matrimonium, inquantum est contractus validus, quin etiam suscipiant Sacramentum.

DE MATRIM. INQUANTUM EST SACRAM. 491

tum. Licet verò nihil in hoc dubio certi habeatur : quia dependet à quæstione facti , quæ inter Theologos in utramque partem controvertitur : Nempe an Christus voluerit rationem Sacramenti inseparabiliter esse connexam cum ratione contractū, dum contractum matrimonialem baptizatorum elevavit ad rationem Sacramenti, attamen videtur verius, quod Christus instituens hoc Sacramentum non reliquerit in beneplacito baptizatorum : an contrahentes matrimonium velint inire purum contractum an simul suscipere Sacramentum ; quamvis enim positio contractū pendeat à voluntate fidelium contrahentium, eo tamen posito , non pendet à voluntate vel beneplacito fidelium ratio Sacramenti , sed eo ipso quo contractū ejusmodi legitimè celebratur, statim ex Christi institutione ei adhæret ratio Sacramenti , unde nec speculativè videntur posse istæ duæ rationes separari à fidelibus , quia tota essentia matrimonii, ut est Sacramentum consistit in legitimo fidelium contractu, quo jus in mutua corpora sibi tradunt & acceptant. Neque Concilia definientia, quod matrimonium inter fideles contractum sit Sacramentum , restringunt suam doctrinam , sed indefinite loquuntur , debuissent autem restrictè loqui, si matrimonia fidelium possint esse vera matrimonia, ut non essent Sacra menta. Accedit, quod omnia matrimonia fidelium consummata non nisi solâ morte dissolvantur . Si verò essent aliqua, quæ non essent Sacra menta, sed puri contractus, non potest adferri ratio , quare magis sint insolubilia quam matrimonia infidelium , quæ etiam valent in ratione contractus.

Neque possunt practicè separari: cum ex hâc ratione à posteriori : si posset separari ratio Sacramenti à ratione contractus, liceret fidelibus celebrare matrimoniū in ratione contractus & non in ratione Sacra-  
menti :

menti : nulla enim lex id prohibens ostendi potest. Tum ex hoc fundamento vel fideles ineuntes matrimonium noverunt illud à Christo esse elevatum ad rationem Sacramenti, vel non, si non sciant vel non credant matrimonium esse Sacramentum, intendendo inire verum matrimonium etiam intendunt suscipere Sacramentum: quia intendunt facere, quod fideles ineuntes matrimonium solent facere; hi suscipiunt Sacramentum, ergo illi verum suscipiunt Sacramentum, sicut, qui non crederet Baptismum esse Sacramentum, si baptizaret intendens facere, quod facit Ecclesia, verè baptizaret; vel si credant matrimonium à Christo esse elevatum ad rationem Sacramenti, sed expressè non intendant aut non velint suscipere Sacramentum, sed solum inire contractum Civilem matrimonii, & tunc tamen etiam verum Sacramentum suscipiunt licet sacrilegè, quia reverè ponunt & suscipiunt illud, quod Christus ad esse Sacramenti elevavit, non obstante intentione contrariâ, quia quando duæ intentiones contrariae in eodem subjecto pro eodem tempore concurrunt, illa valet, quæ est efficacior, illa autem est efficacior, quam in actu exercito exequor, at qui hic sunt duæ intentiones contrariae suscipiendi Sacramentum & non suscipiendi Sacramentum, habetur enim intentio in eundi contractum, qui est à Christo independenter à nostrâ voluntate elevatus ad rationem Sacramenti, & habetur etiam intentio non suscipiendi Sacramentum, ut supponitur; inter quas contrarias voluntates est efficacior intentio suscipiendi Sacramentum, quia de facto & in actu exercito in eunt contractum, qui à fidelibus iritus ex institutione Christi est Sacramentum, idem esset in eo, qui intenderet suscipere Sacramentum matrimonii, non tamen vellet inire contractum, si sciret Sacramentum matrimonii consistere in contractu. Accedit, quod

de

de Sacramentis in genere dictum est, ad valorem Sacra-  
menti sufficere, quod minister Sacramenti intendat  
facere serio omnia illa, quæ facit Ecclesia vel Christus  
instituit; non obstante contrariâ intentione ineftica-  
ci non conficiendi Sacramentum, non faciendi quod  
facit Ecclesia.

*Obj.* Si quis vellet assumere Ordinem factum ex-  
pressè tamen nollet se obligare voto castitatis, manet  
legitimè ordinatus, quamvis non foret obligatus  
ad continentiam ex voto: quia noluit vovere, qua-  
lis voluntas vel intentio necessariò ad obligationem vo-  
ti requiritur; ergo qui vult inire matrimonii contra-  
ctum expressè tamen non vult suscipere Sacramentum,  
validè quidem contrahit non tamen conficit Sacra-  
mentum; quia non minus ad administrationem vel  
confectionem Sacramenti requiritur voluntas confi-  
ciendi Sacramentum, quam ad votum voluntas vel in-  
tentio vovendi.

*Ré.* Concesso ant. negando conseq. Disparitas est:  
quia votum non est ex jure divino annexum Ordini sa-  
cro inseparabiliter, qualiter contractui matrimoniali  
ex institutione Christi est annexa ratio Sacramenti, sed  
tantum ex statuto Ecclesiae votum annexitur sacro Or-  
dini, Ecclesia autem circà Sacramentorum substam-  
tiam nil potest immutare. Hinc voluntas suscipiendi  
sacros Ordines non est voluntas suscipiendi illud, quod  
in re est obligatio voti, sicut in nostro casu.

*Obj. 2.* Matrimonia per Nuntios, litteras, Pro-  
curatores contracta sunt veri contractus, sed non sunt  
Sacramenta.

*Ré.* Negando subsump. Si enim valeant in ratione  
contractus, talia matrimonia etiam valent in ratione  
Sacramenti, de quo

## QUÆSTIO III.

*An Matrimonium per Procuratorem sit validum?*

**DICO.** *Coniunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus S. Th. in suppl. Q. 45. A. 2. O.*

*Explico:* Sicut quilibet contractus ita & matrimonialis per Procuratorem, qui habet conditiones à jure requisitas, initus valet tum in ratione contractus tum in ratione Sacramenti.

*Prima Pars patet:* valet enim matrimonium in ratione contractus, si adsint omnia ad contractum requisita, ad contractum autem sufficit, ut Personæ habiles in idem mutuo consentiant externè suum consensum manifestando, quod sufficienter fit etiam per Procuratorem, ergo etiam contractus matrimonii taliter iniri potest per Procuratorem, cuius requisita supra ex Cap. Procurator fin. de Procurat. in 6. expositæ sunt.

*Secunda Pars:* quod matrimonium per Procuratorem contractum etiam valeat in ratione Sacramenti.

*Probatur 1.* Quia Christus Dominus non mutavit materiam contractus matrimonii, quando illud elevavit ad rationem Sacramenti, contractus autem inter absentes per Procuratorem iniri potest; ergo.

2. Si talis contractus non esset Sacrementum, debuissest hoc declarari per Ecclesiam, quando volebat in Con. Trid. necessariam de Sacramento matrimonii doctrinam tradere; atqui in illo Concilio absolute declarantur omnia legitima fidelium matrimonia esse Sacraamenta, cum tamen necessarium fuisset excipere matrimonia per Procuratores contracta, cum plerumque magnates absentes per Procuratores contrahant. Adde, quod talia matrimonia, si non essent Sacraamenta

DE MATRIM. INQUANTUM EST SACRAM. 495

menta , non pertinenter ad forum Ecclesiasticum :  
Judices verò Ecclesiastici indifferenter etiam de matri-  
moniis per Procuratores contractis cognoscunt.

*Obj.* Nullum Sacramentum potest administrari ab-  
senti , ut patet in singulis , ita quidem , ut pœnitentia  
nequidem , quamvis sit Sacramentum institutum  
per modum judicij , administrari possit absenti ; ergo  
matrimonium per Procuratorem contractum inter ab-  
sentes non est Sacramentum .

*R.* Antecedens de aliis Sacrementis est verum , sed  
de matrimonio est falsum , eò quod etiam per litteras  
Nuntium vel Procuratorem contractum est verum Sa-  
cramentum conferens gratiam eo instanti , quo per  
Procuratorem contrahitur , non in ipso Procuratore ,  
sed in eo , cuius iussu & cuius nomine Procurator ma-  
trimonium contrahit ; disparitas autem inter cætera  
Sacra-menta & matrimonium est , quod hoc sit Sacra-  
mentum , quod simul est contractus , ideoque possit  
absenti administrari , sicut potest cum absente iniiri  
contractus , alia autem Sacra-menta habent materiam  
& formam , quæ non potest applicari nisi subjecto ,  
quod præsens est : in ipso quoque pœnitentiæ Sacra-  
mento forma essentialis : *absolvo te* : de absente  
verificari non potest .

*His non obstat* : quod principalis contrahens per  
Procuratorem , aliquando tempore contractus dor-  
mitiat , & consequenter si sit in statu disgratiæ , Sacra-  
mentum indignè & sacrilegè suscipiat , & ità dormiens  
mortaliter peccet : hoc enim non est inconveniens :  
nam imprimis Sacramentum in dormiente potest cau-  
sare gratiam : si sit dispositus : ut patet in Sacramento  
extremæ Unctionis , quod confertur dormienti som-  
no lethargico . Unde quia consensus dormientis ha-  
bitualiter perseverat , & per Procuratorem velut in-  
strumentum vivum exprimitur , illo tempore , quo

*III. Partis Theol. Schol. suppl.* **II** con-

contrahitur , recipit effectum effectum gratiæ ille, qui per Procuratorem contrahit, modò sit dispositus, ex quo sequitur , quod ille , qui se componit ad somnum in statu disgratiæ eo tempore , quo conjicere potest , sibi conferendum esse Sacramentum , peccet mortaliter exponendo se periculo recipiendi Sacramentum indignè.

## QUÆSTIO IV.

*Quæ materia & forma hujus Sacramenti & quis minister?*

**D**Uplex est materia cujuslibet Sacramenti remota videlicet illa res , quæ adhibetur , & proxima ipsa rei applicatio , forma verò est determinativa hujus applicationis ad esse Sacramentale , minister est , qui formam materiæ applicat.

DICO I. Verba , quibus consensus matrimonialis exprimitur , sunt forma hujus Sacramenti... Sicut pœnitentia non habet aliam materiam , nisi ipsos actus sensui subjectos , qui sunt loco materialis elementi ; ita est de matrimonio. S. Th. in suppl. Q. 42. A. 1. ad 1. & 2.

*Explico:* materia remota vel circà quam in Sacramento matrimonii , sunt corpora contrahentium ; materia proxima & ex quâ , & forma sunt sibi invicem verba seu signa , quibus consensus Conjugum exprimitur secundum diversitatem rationum ;

*Prima Pars probatur:* Christus contractui matrimonii ex natura suâ inviolabili solum addidit dignitatem Sacramenti ; ergo materia circà quam hujus Sacramenti est eadem , quæ est materia contractus ; atqui contractus matrimonialis materia circà quam sunt corpora contrahentium mutuò tradenda , sicut materia cujuslibet contractus dicitur illa res , quæ per contractum traditur & acceptatur.

Secunda Pars probatur : in verbis contrahentium est expressio mutuae traditionis , quâ quilibet tradit alteri sui corporis potestatem , & secundum hoc dicuntur materia : quia quod est determinabile , habet se per modum materiæ ; traditio autem est imperfecta & inefficax , donec acceptetur & consequenter per accedentem acceptationem traditio perficitur & determinatur , ideoque expressio mutuae acceptationis , quâ quilibet acceptat traditionem sibi per alterum factam , habet se per modum formæ : quia determinans materiam est forma ; ergo utrumque verba sive quicunque actus exteriores sensibiles exprimentes consensum internum sunt materia , quatenus important traditionem , & sunt forma in quantum acceptationem important ; traditio enim per illa signa vel per verba expressa sensibilis facta , cum sit inchoatus & imperfectus adhuc contractus , habet se per modum materiæ determinabilis & perfectibilis , acceptatio autem sensibilis facta similiter per verba habet se tanquam forma perficiens & complens contractum.

Obj. 1. Juxta Concil. Florent. omnia Sacra menta constant rebus & verbis , rebus tanquam materia , & verbis tanquam forma ; ergo præter verba contrahendum debet assignari aliquid in matrimonio , quod sit res.

Mutua traditio verbis facta est quid informe & determinabilis : nullum enim effectum sortitur , donec accedit acceptatio , & sic dicitur res , & se habet per modum materiæ ; mutua vero acceptatio : quia compleat & perficit traditionem , habet se per modum formæ & de hac dici potest quod sint verba formæ : cuius ratio est , quod cum verba de se sint instituta ad significandum , res autem sunt de se determinatae ad essendum & per accidens tantum assumantur ad significandum , omne

determinativum Sacramenti in esse signi bene dicitur verbum, & determinabile dicitur res.

*Obj. 2.* Idem respectu ejusdem non potest habere rationem materiae & formae etiam secundum diversas rationes, nam alias idem à parte rei esset forma suæ formæ & materia suæ materiae, & consequenter esset causa & effectus in eodem genere causæ, atqui si traditio & acceptatio sint materia & forma Sacramenti matrimonii, ad summum erit distinctio rationis tantum inter materiam & formam hujus Sacramenti: cum mutua traditio reipsâ sit mutua acceptatio: eo ipso enim iisdemque verbis, quibus una Pars significat, se tradere corpus suum alteri, etiam significat se vicissim traditionem alterius acceptare, sicut econtra eopso, quo altera Pars significat se acceptare corpus alterius, etiam significat se vicissim tradere corpus suum.

*R.* Quamvis idem secundum diversas rationes sit materia & forma in hoc Sacramento v.g. consensus viri, in quantum est traditio, habet rationem materiae, in quantum acceptatio habet se per modum formæ, idem est de traditione uxoris; attamen consensus viri & mulieris distinguitur realiter ab illo, respectu cuius se habet per modum materiae & formæ: nam traditio viri est partialis materia, respectu cuius partialis forma est acceptatio mulieris, & traditio uxoris est partialis materia, respectu cuius rationem formæ habet acceptatio viri; patet autem, quod traditio viri distinguatur realiter ab acceptatione uxoris, & traditio uxoris realiter distinguatur ab acceptatione viri.

*DICO 2.* *Sacramentorum... causa secunda* sive *instrumentales* sunt *materiales operationes ex divina institutione efficaciam habentes*: & sic consensus in matrimonio est causa S. Th, in suppl. Q. 45. A. 1. ad 1. *Sive ministri Sacramenti matrimonii sunt*

DE MATRIM. INQUANTUM EST SACRAM. 49,  
illi, qui contrahunt, sive consentum matrimonia-  
lem ponunt.

Probatur: contra graves quosdam authores, qui  
sustinent, quod minister hujus Sacramenti sit Sacer-  
dos ejusque verba sint forma, materia autem sint ver-  
ba contrahentium. qui contrahentes sine ministro vel  
Sacerdote contractum quidem Civilem matrimonii  
confiant, non tamen Sacrementum matrimonii;

1. Christus instituit hoc Sacrementum juxta natu-  
ram contractus matrimonialis: rationem enim Sacra-  
menti solum superaddidit contractui matrimoniali, ut  
patet ex Conciliis, quæ dum absolute definiunt ma-  
trimonium esse Sacrementum, non plus requirunt  
ad substantiam Sacramenti, quam requiratur ad veri-  
tatem contractus matrimonialis, sic Florentinum in  
decreto unionis, ubi postquam singulorum Sacra-  
mentorum materiam & formam & ministrum explicat  
set de matrimonio dicit: *Septimum est Sacra-  
mentum matrimonii, causa efficiens matrimonii  
est mutuus consensus per verba de praesenti  
expressus: ergo idem est minister Sacramenti ma-  
trimonii, qui est minister vel causa efficiens contractus  
matrimonialis; atqui ministri efficientes contractum  
sine dubio sunt ipsi contrahentes, vel illi qui contra-  
hunt & obligationem in se mutuò suscipiunt, ergo ii-  
dem sunt etiam ministri hujus Sacramenti.*

2. Ille est minister cujusque Sacramenti, qui for-  
mam Sacmentorum profert, quibus Sacrementum  
perficitur; atqui ipsi contrahentes proferunt formam,  
sive immediate per se ipsos sive mediate per Procura-  
torem.

3. Sacerdos assistens cum testibus solemnni mar-  
rimonio, quamvis impropriè & accidentaliter minister  
dici possit, quatenus confirmat & ratificat tradicio-  
nem & acceptationem contrahentium, dum ex præ-

scripto Tridentini dicit: *ego vos conjungo*: id est: ego vos conjunctos declaro, confirmo & benedico auctoritate Ecclesie in nomine Patris &c. attamen simpliciter & propriè minister matrimonii dici non potest: cum olim matrimonia quælibet, & hodiè in locis ubi non est promulgatum Tridentinum, aut ubi nullus est Parochus, aut non datur tutus accessus ad Parochum ratione heresis, matrimonia contracta sine Parrocho aut alio Sacerdote subsistant; præsentia ergo Parochi tantum requiritur ex præscripto Tridentini tanquam conditio & solemnitas necessaria ad valorem Sacramenti; neque Sacerdos assistens profert formam necessariam Sacramenti, sed etiamsi nil omnino diceret, immo licet positivè contradiceret, adhuc validum matrimonium fore tam in ratione contractus quam in ratione Sacramenti.

*Obj. I.* Matrimonium utpote res sacra, debet per formam sacram constitui; verba autem contrahentium sunt profana, adeoque nequeunt esse forma hujus Sacramenti, & consequenter nec contrahentes ministri; econtra autem verba Sacerdotis, quæ præscribit Trident. *Ego vos conjungo* &c. sunt verba sacra sacram significationem habentia, & cum sint vera illud efficiunt, quod significant; Parochus ergo illa verba proferens non conjungit sponsos in matrimonio sub ratione contractus considerato; antequam enim Sacerdos illa verba proferat, jam sponsi per consensum utriusque partis exterius manifestatum contractum matrimonii iniverunt, sed conjungit illos in matrimonium sub ratione Sacramenti, ideoque quamvis non sit minister contractus matrimonii, est tamen minister Sacramenti, quamvis tamen etiam ad valorem contractus post Tridentinum requiratur, ita ut Parochus præsens, quando sponsi contrahunt, per solam assi-

DE MATRIM. INQUANTUM EST SACRAM. **sol**

stentiam & præsentiam det valorem Matrimonio in ratione contractū in locis, ubi viget Trident. quatenus autem assignata profert verba post contractum Matrimonii, efficit conjugium sacramentale, id est; facit, ut ille contractus habeat rationem Sacramenti & gratiam conferat, quā conjuges spiritualiter conjungantur, & se invicem castè diligent.

**R.** Ad palmarium hoc argumentum: quod Christus dominus contractum Matrimonii elevando ad rationem Sacramenti ex contractu profano fecerit contractum sacrum, ideoque illa verba contrahentium, quæ profanum contractum constituunt in ratione contractū profani, modo elevata à Christo domino constituant contractum sacrum in ratione Sacramenti, & sic sunt verba sacra id est: vim habentia aliquem effectum gratiæ sanctificantis in animâ producendi, licet non sint à sacra personâ prolatæ; cæterum verba Sacerdotis declarant solum conjunctionem factam per matuum utriusque consensum.

**Obj. 2.** Verba illa: *Ego vos conjungo in matrimonium*: à Parocho prolatæ non possunt absque apertâ torsione intelligi in hoc sensu: ego vos declaro junctos; sicut in forma absolutionis pœnitentiæ verbum: *absolvo*: perperam exponeretur in hunc sensum: ego te declaro absolutum.

**R.** Non posse alium verborum sensum esse, quam ille, qui est adductus, patet ex eo, quod certum sit matrimonium esse validum, etiamsi Parochus non pronuntiet ista verba, immo reclamet; modò cum testibus requisitis audiat conjugum consensum.

*Nec dicas: matrimonia clandestina in locis, ubi Trident. non viget, & matrimonia solemnia in locis ubi Trident. est receptum, in præsentiâ Parochi &*

Parochio nihil dicente celebrata valida esse in ratione contractus, non tamen in ratione Sacramenti.

*Nam contra:* Trid. sess. 24. Can. 1. definit, absque ullâ exceptione matrimonia Christianorum esse Sacra menta, debuisset autem excipere matrimonium Clandestinum, si matrimonii minister ex institutione Christi Parochus forer, item eadē sess. de reformat. matrim. cap. 1. declarat, Clandestina matrimonia libero consentiu contrahentiū facta fuisse rata & vera matrimonia, quāndiu Ecclesia ea irrita non fecit, matrimonia autem dicuntur rata ratione Sacramenti ut declaravit Innocentius III. in cap. quanto 7. de divort. afferendo matrimonium infidelium esse quidem verum sed non ratum seu omnino indissolubile eò quod non sit Sacramentum.

*Obj. 3.* Ante Trid. copula carnalis supplebat vices verborum, ita ut, quando sponsi post sponsalia exercabant copulam carnalem, eo ipso sponsalia de futuro transirent in sponsalia de præfensi; atqui planè absurdum est dicere, quod actus ille, qui etiam tunc erat illicitus, nomine & vice Christi fuerit exercitus, quod tamen sequeretur, si conjuges essent ministri hujus Sacmenti & manifestando exterius suum consensum applicarent formam Sacra mentalem materiæ.

*R<sub>2</sub>.* Moraliter impossibile est, ut sponsi de futuro copulam affectu maritali factam non inducant per verba significantia, quod in eam affectu maritali consentiant; si tamen in aliquo casu continget, ut ipsa copula foret primum signum mutui consensus in matrimonium, non foret absurdum dicere, quod copula illa in ratione signi mutui consensus concurret ad hoc Sacramentum.

*Obj. 4.* In omnibus Sacramentis, quæ in usu consistunt, semper minister est divisus à suscipiente, & formam nomine Christi & Ecclesiæ tanquam minister

Eccle-

DE MATRIM. INQUANTUM EST SACRAM. 503  
Ecclesiæ applicat ad materiam ; ergo & in hoc Sacra-  
mento

R. Negando conseq. disparitas inter alia & hoc Sa-  
cramentum est, quod hoc Sacramentum consistat in  
ipso conjugum contractu à Christo elevato ad esse Sa-  
cramenti , eidem autem sunt , qui contrahunt & ex  
contractu obligantur , quod non contingit in aliis Sa-  
cramentis.

Obj. 5. S. Th. 2. 2. Q. 100. a. 2. ad 6. dicit : Se-  
cundum jura prohibetur, ne probenedictione nuptiarum  
aliquid exigatur , cujus hanc dat rationem : quia ma-  
trimonium est Ecclesiæ Sacramentum ; ergo censet S.  
D. quod benedictio sacerdotalis sit pars hujus Sacra-  
menti , non autem est alia , quam forma.

R. De mente S. Th vix dubitari posse , nam in 4.  
dist. 26. Q. 2. a. 1. ad 1. ita aperte docet : Verba , qui-  
bus consensus matrimonialis exprimitur , sunt forma  
hujus Sacramenti , non autem benedictio sacerdatis,  
qua est quoddam Sacramentale.

Collige 1. Quod unus contrahens in altero ut mi-  
nister causet gratiam sive immediate , sive medio Pro-  
curatore : quia quando per Procuratorem matrimo-  
nium contrahitur , Procurator non est minister ; sed  
principalis , qui dedit potestatem contrahendi , & cujus  
nomine Procurator consensum exprimit.

Collige 2. Quod quando contrahentes sunt in pec-  
cato mortali duplex peccatum committant in celebra-  
tione matrimonii : unum : quia Sacramentum in statu  
peccati mortalis recipiunt , quod est mortale juxta om-  
nes : quia Sacramentum indignè suscipiunt & obicem  
gratiae ponunt ; alterum : quia ut ministri indignè con-  
currunt ad administrationem Sacramenti , quod secun-  
dum aliquos est solum veniale : quia quamvis sint mi-  
nistri non tamen sunt ministri ad hoc specialiter conse-  
crati. Secundum doctrinam S. Th. videntur mortali-

ter peccare quia ut docet S. Th. 3. p. Q. 64. a. 6. O. Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Christi & Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum, peccant. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem Sacramentorum quantum ex parte ipsius peccatoris ... consequens est, quod talo peccatum ex genere suo sit mortale.

## DISPUTATIO XLVII.

*De Consensu Contrahentium.*

**Q**uis matrimonium secundum dicta est verus contractus, quo corpora contrahentium ex propria ipsorum voluntate in potestatem alterius transiunt, hinc matrimonium ut loquitur Alex. III. in capitulo locum 14. de sponsal. & matr. solo consensu contrahitur. Unde sit

## QUÆSTIO I.

*An matrimonium possit fieri sine consensu & qualis requiratur?*

**D**ICO I. Expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit. S. Th. in suppl. Q. 45. a. 4. O.

*Probatur:* Non facit matrimonium, nisi verus consensus: quia sine vero consensu non subsistit contractus matrimonii, atqui consensus solum verbis expressus non est verus sed tantum factus consensus; factus autem consensus non est consensus; ergo non facit contractum in foro conscientiae, quod addo: quia in foro externo, si quis diceret se fictè contraxisse, non faciliter crederetur, unde talis fictè consentiens regulariter semper tenetur postea verum consensum elicere: quia alias parti innocentie graviter noceret, quia impedit illum, tum ne aliud matrimonium contrahere possit (Ecclesia enim presumit prius matrimonium esse verum)